

Bibliothèque numérique

medic@

**Caron, Charles-Felix - candidat /
Sabatier, Raphael-Bienvenu -
président. - De poplitis anevrismate**

1773.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi,
Cote : ms 2344, n°10***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)


Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x03x0010](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x03x0010)

1773



L







D. O. M.
 DE POPLITIS
 ANEVRISMATE.
 T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

NOTISSIMA est anevrismatis in verum & spurium divisio. Prior hujus morbi species, a sanguine intra arteriarum tunicas distentas, & supra modum dilatatas, congesto, producitur; posterior, ab eodem liquido, extra illarum tunicas, in textum cellularem vicinum, diffuso. Tertiam his quidam addunt, quam mixtum anevrisma vocant; fierique censent quoties laceratis, incisis, erosisque exterioribus membranis arterias constituentibus, interna, sanguinis erumpere conabundi nisu, extra producitur, & in saccum diversæ magnitudinis exurgit. Verum interioris illius membranæ tenuitas illiusque cum eâ quæ muscularis audit, intima cohæsiō, impedire videntur ne sic extra illam propelli possit, & in tumorem attolli.

A

UTRAQUE aneurismatis species, vel internas corporis partes occupat, vel externas. Huic medicina, illi vero Chirurgia, diversis utraque mediis, & ad diversum scopum collineantibus occurrit; vix enim aliâ, præterquam palliativâ curâ, medicina ægri salutem potest consulere, dum Chirurgia, perfectam ut plurimum curationem, modo arteria læsa non sit è cordi vicinioribus, afferre valet. Plurima sunt quæ in hunc finem adhibet. Aneurismati incipienti, compressione, diætâ, quiete; perfecto, operatione quæ in eo consistit ut arteria denudata immediate comprimatur, ligetur, caustici ope comburatur; denique hæc media, ob majus in quod excrevit volumen, respuenti, amputatione opitulatur.

AN vero illa omnia, aneurismati ad poplitem sito convenient, in brevissimâ nostrâ dissertatione, perpendere aggredimur. Illudque onus eo libentiori suscipimus animo, quod omnes fere, qui de aneurismate egerunt, nullius alterius curam exponant, quam quod in cubito nascitur, persuasi nempe præcepta à se posita, cuicumque ejusdem generis morbo, facile applicari posse. Sed tanta est in diversis corporis nostri partibus, in vasorum situ, numero, decursu varietas, ut eadem operationes, eadem præcisè ratione, non possint ubique celebrari.

VERUM quidem est, poplitis aneurisma novum quasi morbum esse. Nullum illius antiquius exemplum esse scribit, in artis Medicæ & Chirurgicæ historiâ judex optimus, celeberrimus *Morgagni*, eo quod paucissimis verbis narrat *Marcus Aurelius Severinus*, in suo opere de reconditâ abcessuum naturâ, vixque aliud sibi per longius temporis intervallum cognitum fuisse fatetur, præter id quod refert *D. Matani* in Tractatu de Aneurismaticis præcordiorum morbis, quem consulere, haud nobis adeo felices esse contigit. Plures hujus-ce morbi casus, cum publico recentiores communicaverunt, illustrissimi scilicet *Guattani* de Aneurismatibus externis, *Benevoli* in suis observationibus, *Mazzotti* in libro peculiari cui titulus est, *Dissertatione sull'Aneurisma del Poplite*, nuper publici juris facta, *Morgagnique* ex amici sui *Valsalvæ* schedis, & è propriâ suâ praxi, omnes itali, nec non *de Haen* Germanus, cujus libros de medendi ratione versantur, quicumque artem nostram excolunt, adeo ut morbum illum haud infrequentem esse dici possit.

CAUSAS ab iis quæ alia aneurismata producant, diversas

non agnoscit. Ut plurimum enim pendet à vehementiori nisu, sive pedem inter parvimenti lapides hærentem ac defixum, quis retrahere velit, sive scalam, humeris, nimis quam par est onustus, ascendere, sive tandem in quolibet alio casu omnes corporis vires exerere necesse habeat, femoraque cum cruribus intendere. Quibusdam tamen aneurisma poplitis exurgere visum est, absque evidenti causâ. Vidit modo citatus D. de Haen hominem triginta annorum, cæterum sanum, qui post eresipelas ad internum sinistri pedis malleolum, aneurisma in poplite habuit, eò periculosius, quod abcessus eresipelati supervenerit, morbusque præcipuus latuerit, donec se inopinatâ, graviore, nec ullâ arte compescendâ hæmorrhagiâ manifestaverit. Quâ ratione, vehementiores totius corporis & præsertim femorum & crurum nifus, poplitis aneurisma producant, faciliè intelliget, quicumque arteriæ hæc in parte latentis decursum apprimè noverit. Cum enim infra genu, sub plantaris, gastrocnemii externi, soleique musculi parte superiori, illi pertranseundum sit, fieri non potest quin musculis illis valde contractis, ab illis & supposito musculo popliteo, non sic constringatur, ut liberum sanguini à corde appellenti transitum deneget, illumque citrà remanere cogat; sed novus sanguis adveniens arteriæ parietes distendit, laxat, vel dirumpit, unde tumor incipiens, qui causis iisdem redeuntibus, vel solo sanguinis impetu in dies augetur, & tandem suis se signis prodit.

Hæc vero cum aliis hujus-ce generis morbis, huic communia sunt. Mollis, fluctuans, pulsatilisque tumor apparet, quo naturalis cutis color non immutatur, qui doloris ut plurimum expers, lenius vel citius crescit, & in quo fluctuatio, mollities, & pulsus eò minus faciliè percipiuntur, quò in majus volumen excrescit. Tunc quoque gravioribus stipatur accidentibus, qualia sunt dolor, febris, insomnia, cruris & femoris intumescencia, &c. quibus ocissimè mederi necesse est, nisi ægrum certæ morti velimus exponere. Cum verò pulsus in illis aneurismatibus sæpissimè deficiat, accideritque ut in casu ex D. de Haen superius allato, nullus adfuerit, & tumor pro abcessu habitus & apertus fuerit, nullus non videt poplitis morbos, quicumque esse videantur, maximam attentionem mereri, ne forte chirurgus, hallucinetur, ægrique mortem nullâ quidem ratione hoc in casu vitandam, incautâ sectione, ocius accersat.

A ij

INCIPIENS poplitis aneurisma, idoneo tornatili instrumento, cum successu comprimi posse, nullus est dubitandi locus, modò tamen quies ægro commendetur, sanguinisque vires repetitâ venæ sectione, nec non severiori diætâ infringantur. Hujus generis morbum, hac ratione, ad perfectam curationem à Valsalva perductum fuisse DD. *Morgagni*, *Benevoli*, & *Mazotti* ferunt, in uno qui postmodum alterius poplitis aneurismate periit, & in quo tanta erat vasorum ad laxitatem dispositio, ut aortæ curvatura in majus volumen expansa, post mortem ipsi inventa fuerit. Non soli vero poplitis, sed cuilibet aneurismati, tum interno, tum externo methodum à se in casu illo adhibitam, convenire, *Valsalva* arbitrabatur. In eo autem potissimum consistit, ut misso quantum necesse est sanguine, compressivâque machinâ tumori admotâ, cibus & potus ægri magis, magisque in dies imminuantur, usque dum pultis selibram manè assumat, vespere autem dimidio minus, neque aliud præterea, si aquam excipias, eamque intra certum pondus, & cydoniorum gelu, vel osteocollâ in subtilissimum pulverem comminutâ, medicatam.

Cum æger ad eum debilitatis gradum adductus est, ut è lecto in quo decumbere cogitur, manum attollendi vix facultatem habeat, alimenti copia paululum in dies augeri debet, donec necessariæ redeant ad surgendum vires. Nihil equidem, de hâc aneurismatum medendi ratione scriptum reliquit, illustrissimus illius auctor, sed in commentariorum Bononiensis Academiæ tomo primo, ab Hyppolito-Francisco *Albertino* studiorum suorum socio vulgata est, nec non à nunquam satis laudando *Morgagno*, qui illam ab Antonio-Joanne *Stancario* Bononiensi Medico, anno 1728 accepit. *Stancarius* ille qui juniorem monacham hâc methodo feliciter percuraverat, *Morgagno* retulit pulsationem in his qui sic curati fuerant, primis diebus in tumore redire, verum brevi, & in totum evanescere, modo æger intra vivendi normam à chirurgo sibi præscriptam, semetipsum continere velit. *Valsalva* credidisse videtur methodi suæ successum ex eo pendere, quod debilitatis ægri viribus, arteria læsa tonum pristinum recipere possit, & debitâ ratione constringi. Sed grumi qui in interiore aneurismatum sacco, ut plurimum inveniuntur, eoque majori copiâ congeruntur, quò ii tumores majus volumen acquirunt, ostendere videntur pulsationis & augmenti defectum, poliposis concre-

5

tionibus, ex imminuto sanguinis circuitu natis, pariter, vel etiam æquiori jure tribui posse.

Si poplitis aneurisma jam grandius factum sit, mediis suprà dictis Chirurgus non amplius confidat, & ad operationem se accingat. Hanc cum successu celebrari valere, primus conjecisse videtur *Heisterus* in Dissertatione, quam de Genuum structurâ, eorumque morbis, anno 1741 publici juris fecit, eò quod speraret, dari arterias quæ à femoralis & popliteæ parte superiore descendentes, cum arteriis infrà genu nascentibus, communicarent. Nullus de illis dubitandi locus erat, quæ jam ab anno 1732 à *Vinslovio* nostro descriptæ fuerant. Has post modum ita evidenter demonstravit *Hallerus*, in quinto iconum suarum anatomicarum fasciculo, ut præ omnium oculis sint. Ex iis pariter conclusit vir illustrissimus, arteriam popliteam eadem fere cum spe, duos inter condylos ligari posse, aut excindi, si aneurisma id requisiverit, & æquæ bonam spem, post eam resectionem in tibiâ, pedeque super esse, ac quidem de brachio optima est, quando arteria brachialis in flexu cubiti ligatur. Si *D. Mazotti* fides, *D. Guattani* regie nostræ Academiæ socius, primus est qui operationem de quâ agitur, præceptis ad eam accommodatis illustraverit, quamvis eam, diverso cum successu à DD. *Querci*, *Kaiser*, *Mazotti*, aliisque Chirurgis italibus, peractam, ipse non celebraverit.

COMPRESSIONIS & causticorum ope, perfici posse videtur, ac ea quæ sit super aneurismatibus quæ variis in locis accidunt. Cum verò solâ hac usque ligaturâ usi fuerint, qui illam aggressi sunt, non aliam methodum à nobis describi & commendari posse censemus. Primum Chirurgi opus est debitum ægro situm conciliare, sanguinisque adventum per operationis tempus præpedire. Æger itaque pronus super lecti spondâ recumbat, & ministris probe firmetur, femurque ligaturâ tornatili constringatur, sive ea sit quam à *Morello* olim inventam dicunt, sive ea quam seriùs cum regiâ scientiarum Academiâ *D. Petit* communicavit. Tegumenta deinde, vel in plicam elevata, vel sinistra manus digitis tensa, cautè inciduntur, ne fortè scalpellum intrâ tumoris aneurismatici saccum penetret. Nervi poplitei à sciatico oriundi, hic internus & crassior, ille externus & non nihil tenuior, sub iis occurrunt. Necesse est ut à partibus vicinis solvantur, & removeantur. Vena deinde poplitea profundius sita, & arteriæ læsæ, vel adventitii sacci vicinior,

nec non sapius in duos præcipuos ramos divisa, se se exhibet. Si facile discerni potest, quod quidem in omnibus non permittit firmior ejus cum arteriâ cohæsiô, vel situs illius profundior, separari & removeri pariter debet. Non tamen omninò de ægri salute desperandum foret, etiam si Chirurgus eam ligaturis suis comprehendere cogeretur. Fieri enim potest ut dentur rami, quibus inferiores trunci cum superioribus communicent, vel ut saphena illius vices supplere valeat.

Cum ad ipsum aneurisma ventum est, illud scapello in longum aperiiri debet, sanguisque tum fluidus, tum in grumos concretus, extrahi; vulnere deinde, spongiis vino prius imbutis, deindeque expressis, absterfo, ligaturæ duæ artetia superinjiciendæ sunt, acû longiori, crassiore, incurvâ, filum cerâ obductum, in tæniæ modum dispositum trahente, spleniolis interpositis, ne arteria prius incidatur, quàm perfectè consolidata fuerit, sanguisque inexpectatò prorumpat. Ligatura superior ab inferiore parum distare debet in iis quorum aneurisma est è spuriorum genere, in iis verò in quibus verum est, hanc ab illâ longiori intervallo, distare necesse est; namque si fierent in parte arteriæ dilatâ, hæc in novum aneurisma deinceps exurgere posset, morbumque redintegrare. Inferius tumoris extremum ita quandoque superiori gastrocnemiorum musculorum parti adhæret, ut inferiori ligaturæ celebrandæ necessarium spatium non superfit. Hunc casum expertus est laudatus D. *Querci*. Cum vero consecutivam timeret hæmorrhagiam, quæ novum sibi, & ægro negotium facessere potuisset, vulnus implevit gossipio cui pulvis ex alumine & mercurio præcipitato immistus fuerat. Medicamen illud escharam, ut prævisum erat, produxit, quâ deciduâ, vulnus detergi cœpit, & ad cicatricem vergere, sed æger, post quadraginta ab operatione dies, diarrhæâ periit.

LIGATURIS arteriæ, ut dictum est, superinjectis, nihil aliud agendum super est, nisi ut idoneus apparatus vulnere apponatur. Præcipuè autem constare debet è globulis minoribus & mollioribus, ex linteo carpto paratis, in colophoniam pulveratam demersis, quibus totum impleatur, quique spleniis diversæ figuræ, & magnitudinis & fasciâ in gyros circumvolutâ, contineri debent. Æger deinde medio in lecto reponitur, non amplius pronus, sed super latus vulnere oppositum. Conveniens quoque parti situs,

conciliatur, eaque pulvinaribus firmatur. Tunc ligatura tornatilis per gradus laxari debet, sicque liber sanguini affluxus permitti, ut quæ dilatari debent arteriæ articulares, tum superiores, tum inferiores, illum excipiant, & in præcipuos cruris ramos transmittant. Calidis aromaticis, & antisepticis interea fomentis, & cataplasmatibus non supersedendum, donec debitus in pede calor recurrens, sanguinem in eâ parte liberè circuire testetur. Hoc si acciderit, spes est membrum servari posse; dum è contrâ si crus & pes semper frigescant, nullo gaudeant sensu, maculis gangrænosus deturpari incipiant, epidermisque à subjunctâ cute separari facile possit, de ægri salute conclamaturn est, nisi ad amputationem citius recurratur. Priore in casu suppuratio usque ad septimum, octavum, nonum diem expectari debet, nullaue pars apparatus removeri, usque dum certis se prodant indiciis, & pus undequaque effluat. Ligaturâ tornatili de novo restrictâ, crus & femur suspensâ manu, è pulvinaribus sublevantur, vulnusque eâdem ratione, ac primâ vice curetur. Expedi autem ut apparatus non nisi secundo vel tertio quoque die renoveretur. Varium est tempus quo ligaturæ decidunt, Chirurgusque solitis insistere cautelis sedulo debet, donec vulnus illas ut ita dicam ejecerit. Cum vero nullus postea metus hæmorrhagiæ super sit, illud ad cicatricem ac si simplex foret, potest perducere.

FEMORIS amputationem necessariam esse diximus si dentur signa quibus constet sanguinis circuitum in parte ligaturis suppositâ renovari non posse. Hâc quoque solâ servari possunt ii qui majori poplitis anevrismate laborant. Timendum enim foret ne si modo descriptæ submitterentur operationi, ligatura arteriæ læsæ, ultra citràque locum, unde articulares originem ab eâ trahunt, super injici deberet, vel inferius femoris extremum carie exesum reperiretur, vel tandem summa femoris & cruris intumescencia resolvi non posset & in gangrænam lethalem citò vergeret. Non possumus tamen quin paucissimis verbis, hic adducamus exemplum hominis, quem ipsa natura, enormi poplitis anevrismate laborantem, inexpectatò à morbo tam gravi liberavit. Cum tumor ille celeriter admodum increveret, femur ægro amputandum esse, pronunciavit medico-Chirurgus Franciscus *Paoli*, qui illius curæ præerat. Hanc vero operationem sibi fieri noluit æger, solique naturæ confidere velle dixit. Interea crus graviori inflammatione

& gangrænâ correptum est, & tumor spontè dissiluit. Magna liquidi incerti, purulenti, & putridi quantitas ex aperturâ effluxit absque hæmorrhagiâ. Verum gangræna partes in poplitis cavo contentas adeo consumpsit, ut nullum venæ, arteriæ & nervorum vestigium hic loci remanserit. Suppuratione paululum imminutâ, novæ supercreverunt carnes, sed ulcus ad cicatricem perducere non potuit, citiusque flexilitatem & volumen naturale conciliare, prorsus impossibile fuit. Hujus modi eventum ut mirari sapientis est, ita expectare insulsi foret & cujus libet sensus expertis.

Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. RAPHAËLE-BENEVENTO SABATIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Regiæ Chirurgiæ Academiæ pro Commercio extraneo Secretario, nec non Regiæ Invalidorum Militum Domûs Chirurgo primario designato, tueri conabitur JOANNES-CAROLUS-FELIX CARON, ambianensis, præclaræ Artium Facultatis Magister in alimâ Universitate Parisiensi, nec non primarii Chirurgi in Regiâ Invalidorum Militum Domo, nuper adjutor.

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 13^a. Februarii à sesquisecondâ post meridiem ad septimam anno R. S. H. 1773.

PRO ACTU PUBLICO

ET

SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirug. Collegii
Typographi, 1773.